

loqui pergebat) istam cistulam à foetore & sordibus, quas à vestibus naeta est, bene purgabis, & tunc nulla clauē indigebis, sed seipsam illa referabit, in qua duplicia inuenies: albam, videlicet, argenteam pyxidē plenam in plumbo politorum celerium adamantum: dein vestem Attalicam pretiosissimis jaspidibus solaribus intertextam. Et hic thesaurus, & tota relictarum diuitiarum substantia beatæ meæ filiæ est, quas omneis, ante transmutationem discessumque suum, tibi hæreditario post se reliquit. Sin itaque nunc thesaurum istum artificiose transponere, summo studio purificare, & tacite, magna tamen cum patientia, in calidam, occultam, vaporosam, perspetiuam, humidamque aliquam cellam seposueris, & præ frigidis iniuria, vento, grandine, pernici fulgure, eiusdemque calidis radiis, omnique adeo externa destructione, ad messem triticeam vsque, probe custodiueris: tunc demum ingentem hæreditatis tuæ gloriam ac præstantiam reperies, & percipies.

Quibus sic dictis, denuo euigilabam, Deumque anxius inuocabam, vt nimirum intellectum meum reuelare dignaretur, vt in somnio mihi promissam cistulam quærerem, & inuenirem. Peractis precibus, summo studio ac desiderio in vestibus quærebam, illamque reperiebam. Pannus subductitius autem tam erat durus, vndiq; circumclusus, & à natura concretus, vt illum ab illa separare haud possem: Ille enim neque lixiuo sese purgari, aut ferro, chalybe, vel aliis metallis sese findi patiebatur. Quocirca, iterum illo relicto, intra cœlum terramque, quid mihi faciendum foret, dubius hærebam: Veneficium illud esse credebam, & dicti Prophetici recordabar:

M 2

Et